





*Pub. 13. Num. 34. Eu. K. 16. 15
179*

24

*1695, 8
13*

DISPUTATIO INAUGURALIS
DE
POTESTATE
IMPERATORIS ALIENANDI
BONA IMPERII

QUAM
DIVINA ANNVENTE GRATIA
DECRETO ET AVCTORITATE ILLUSTRIS JCTORVM
ORDINIS
IN ALMA SALANA
PRÆSIDE

P. 156

ILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO
DN. NICOLAO CHRISTOPHORO
LYNCKERO

HÆREDITARIO DOMINO IN FLVRSTÆT
ET KOETSCHAV

JCT. CONSILIARIO SAXO-VINARIENSI INTIMO
PRÆSIDE FACVLTATIS JVRIDICÆ
ET SCABINATVS ORDINARIO

ANTECESSORE ATQVE CVRIÆ PROVINCIALIS ASSES.
PRIMARIO

DN. PATRONO ET PROMOTORE SVO SVMMO HONORIS CVLTV
ÆTATEM DEVENERANDO

PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQVE JVRE HONORES ET PRIVILEGIA
DOCTORALIA LEGITIME CONSEQVENDI

Publicæ Disquisitioni subjicit

GOTTLIEB SIGISMVNDVS BAVSSIUS

MAGDEBVRG. SAX.

Ad d. 13. Martii MDCXCV. horis, locoque consuetis.

JENÆ LITTERIS NISIANIS.





I. N. J.

PROÆMIUM.



Xcellentissimum potestatis splendorem, fulgentissimamque lucem, quâ Imperatoriæ augustissima Majestatis Purpura, pulcherrimi instar Solis, inter pretiosas gemmas, radiantia lumina, aureaque pariter Sydera, Status videlicet Sacri Romani Imperii coruscat gloriosissimè, contemplanti mihi atque perpendenti, latissima nascitur seges, simul ac latissimus se aperit campus de hac augustâ differendi potestate. Verùm enim verò, cum præsentis mei instituti ratio vetet atque prohibeat, profundum hoc mare, missâ in compendium exhaurire Dissertatione, hoc labore quidem supersedere necesse habeo. Quia verò in hac Illustri Salanâ studiis olim navanti operam, ea mihi contigit felicitas, ut sub Moderami-

A 2

ne

ne Illustris Domini Præsidis privati Juris studium cum studio Juris publici coadunare licuit, hincque in mentem venit in edendo Specimine hoc Inaugurali, aliquod Juris Publici thema sub disquisitionis revocare incudem, placuit tandem ex pulcherrimâ magni hujus Oceani foecunditate atque exuberantia rivulum duntaxat quendam delibare, & pro Ingenii conscribere mediocritate Disputationem hanc Inauguralem, in quâ limatissimo Lectoris benevoli cordatique judicio sistere, ejusque benignæ censuræ & disquisitioni pariter eruditæ subjicere sustineo, argumentum splendidum atque illustre, de potestate videlicet Imperatoris, quâ gaudet in alienandis Imperii bonis; idque non minus arduum atque delicatum, quod uti dignitate, ita non minori se commendat utilitate. Divinum interim, quod cuncta potentissimè moderatur Numen, supplex veneror, velit pro ineffabili sua bonitate hisce meis conatibus indulgentissimæ suæ benignitatis & gratiæ pariter auram, clementer aspirare. Te verò benevole Lector rogatum volo, digneris pro eâ quâ conspicuus es humanitate, hunc laborem æquè bonique consulere, & si humanitus forsan alicubi erratum fuerit corrigere, meq; tuâ benevolentiam haud gravatim complecti.

§ 5 §
CAPVT. I.

Continet Vocum explicationem.

Thesis I.

NE illotis, quod ajunt manibus, præ-
sentis hujus Disputationis Thema aggredi
videar, lubet inter hujus nostri studii pri-
mordia, pro more Disputantium consueto
atque recepto paucis duntaxat peruestiga-
re verborum, quæ in hoc argumento occurrunt, origi-
nem, natales pariter & incunabula, eorumque instituire
anatomiam, & varias propinare significationes. Hac e-
nim nominum notatione feliciter excussâ, eorumque cor-
tice fractâ, eò felicius in rei ipsius cognitionem pervenire,
intimiora veritatis penetralia rimari, Nucleique succum
simul ac dulcedinem libare valemus.

Thesis II.

Vox Potestas, quæ in Rubricâ primum sibi vindicat
locum, esse, vocabulum derivativum, originem trahens à
vocabulo primitivo *posse*, unicuique patet illicò, hinc E-
tymologiæ vocis diutius inharere ejusque natales scrutari
superfluum esse puto. Quia verò hoc vocabulum labo-
rat æquivocatione, quæ nunquam non generat fœdos er-
rores, æquum est ad vitandam nominis confusionem
explicare ambiguum, ut quid velimus dicere pateat.
DD. in l. in ambiguo. ff. de reb. dub. Diversæ vero dantur
hujus vocis significationes, quæ pro diversis, quibus ap-
plicantur, subjectis variant. Si enim vocabulum pote-
stas de Magistratu prædicatur, quoties de summo Principe

accipitur, pro universâ Principis ditione haud rarò ponitur, ut in *l. cum ratio. de bon. damnat.* Si verò ad reliquos Magistratus refertur, pro publicâ Magistratus dignitate, coercendi, decernendi, jubendique facultate, hoc est, pro Imperio sumitur, quod duplex est, merum & mixtum *l. 3. de Jurisd.* Hinc merum Imperium definitur potestas gladii, animadvertendi in facinorosos homines *Gœdd. ad l. 215. de V. S. n. 2.* In alterâ significatione, si hæc vox ad liberos applicatur, quasi illi constituti sint in potestate, tunc denotat Imperium patrium, Jus sc. privatum & domesticum, quod Juris Civilis beneficio Parenti in filios familias competit, idque tribus modis, justis nuptiis, legitimatione & adoptione. Vid. *Inst. Tit. de Patr. potest.* Tertiò, si ad Servos applicatur, designat Domini Jus ac potestatem, quam Dominus domini Jure in servos suos habet, quæ potestas Jure Gentium introducta. Vid. *Tit. J. de his, qui sui vel alien. Jur. sunt.* Quartò cum agimus de noxæ ditione cum eo, qui servum non defendit: tunc vocabulum potestas significat, facultatem copiamque inspiciendi tangendique dare. *l. 215. de V. S.* In potestate enim habere servum, quod ad noxalem ditionem attinet, accipimus eum; qui facultatem & potestatem ejus exhibendi habet. Hinc in *l. 2. ff. ad exhib.* exhibere definitur, facere in publico potestatem, ut ei, qui agat, experiundi sit copia. Quinto potestas sæpe usurpatur pro manu, hinc potestate dimittere & manumittere unum idemque valet. Sexto potestas sumitur seu significat facultatem recuperandæ possessionis omissam ac condonatam. Sic enim res furtiva lege Atiniâ vetatur usucapi; *§. furtiva. J. de Usucap. nisi in Domini sui potestatem, hoc est, possessionem revertatur.*

tur. Septimò denotat directionem & auctoritatem, qua-
 tenus dicitur de marito, nec non de tutore, quibus po-
 testas competit, huic in pupillum, v. §. 1. *J. de Tutel.* illi in
 Uxorem. Octavò accipitur, promiscuè pro quolibet
 Jure sive facultate morali ad aliquid juste agendum vel
 habendum alteri competente, in quâ significatione nobis
 hic quoque venit.

Theſis III.

Imperator in nostro sensu ac proposito nomen est di-
 gnitatis atque splendoris, eique soli imponitur, qui in
 summâ humani fastigii dignitate constitutus ad splendidis-
 sima Imperii Romani gubernacula sedet, & dispensandis
 Gentium fati à Cœli Terræque moderatore est præpositus.
 Olim, cùm Populus Romanus sub liberâ Reipublicâ vi-
 tam degeret suavissimam, in duplici significatione voca-
 bulum Imperatoris potissimum usurpabatur, eratque en-
 comium illustre, cujus splendore atque gloria flos bellato-
 rum & vera martis proles, fortissimi videlicet militum con-
 decorabantur pulcherrimè: Sic enim primo cuius Exer-
 citûs Duci, qui Imperium & omne belli gerendi conseque-
 batur Jus, hujus vocabuli imponebatur elogium; id quod
 apparet ex illo Ciceronis *de Orat. Imperator est admini-
 strator belli gerendi*; unde nonnunquam tot extiterunt
 Imperatores, quot in Provinciis fuerunt exercitus: Alte-
 rò sensu vox Imperatoris apud Romanos idem significa-
 vit, quod Victor; cujus vocis honorifica acclamatione ap-
 plaudente exercitu egregiè excipiebantur, qui hostibus ad
 interneccionem usque cæsis, res militiæ auspiciatò gesse-
 rant. Plura qui scire avet de hac voce, adeat *Limn. Jus
 Publ. L. 2, c. 1.* qui hujus nominis originem & tenue ejus
 initium



initium suppeditat. Synonymicè Imperator in Jure nostro dicitur Princeps. *l. i. C. d. §. Trinit. l. Princeps. ff. de LL.* In usibus verò feudorum passim Rex appellatur. Augusti quoque cognomine radiat, quod inter attributa ipsius deprehenditur, quod constat ex *proœmio Instit.* idque in aliis etiam locis fuit retentum: vel ob majorem reverentiam, quod scilicet reverenter consecratus sancto augurio ope Jovis adaugeatur, Sveton. *in Vespian.* vel ab augendo Imperio, quo illud Germanicum collimat, **Mehrer des Reichs.** Appellatur etiam interdum Cæsar, quod nomen olim designatis Imperatorum successoribus imponebatur. Sic pro Cæsare, quod hodiernam Imperii faciem spectat, utimur voce Regis Romani, qui defuncto Imperatori proximus est in Imperio successor. *V. Aur. Bull. c. 2. §. ego Archiepiscopus, §. tit. 7. §. sanè generaliter. Recess. Imper. de Anno 1559. in pr. ibi: Römischer König/anch ihrer Liebden und Käyserl. Majestät in Fall der Erledigung des Käyserthums ohne Zweifel rechtlichen Successori.* Et idem est, qui in Galliâ denominatur Delphinus, ex eo, quod Humbertus Princeps Delphinatum Principatum suum, eâ conditione Philippo Valesio cesserit, ut Regis proximus heres Delphinus diceretur. In Angliâ Normanniæ Dux, qua recuperata à Gallis, Walliæ Princeps dictus, apud Græcos Despota, Hispanis Princeps, reliqui namque liberi Infantes appellantur. Vid. Norderm. *de J. Princip. tb. 10.*

Thesis. IV.

Vocabulum Imperatoris excipit verbum alienandi, quod suam debet nativitatem voci: alienus. Habetque hoc vocabulum multiplicem in Jure vim ac usum, significati-

ficationemque latissimam. Sic enim primò alienationis
 voce usucapio comprehenditur. *Goedd. ad l. 28. de V. S. n. 3.*
 Sicuti enim per traditionem, & quasi transfertur domini-
 um, aut possessio vel occasio usucapiendi; ita etiam per
 usucapionem aliquid ex alterius patrimonio ad me perve-
 nit rei dominiive *l. 3. ff. de usucapt.* Hinc rectè concluditur
 eum quoque alienare videri, qui usucapi patitur. *d. l. 3. l. 1.*
C. de long. temp. prescript. Secundò, is quoque alienare
 dicitur, qui non utendo, usumfructum, vel quantumlibet
 aliam servitutem amittit. Sic etiam heredis institutio,
 quam aditio sequi solet, alienationis voce continetur *Goed.*
n. 5. nec non legatum, ut & fideicommissum, quia donatio
quædam est, §. 1. ff. de legat. & delibatio patrimonii. Simili-
 ter Usus & Ususfructus, vel constitutio cujuslibet servitutis
 alienatio est. Emphyteuseos quoque constitutionem spe-
 ciem esse alienationis, nemo vocat in dubium, cum usus-
 fructus talium rerum, & Jus possessionis indefinitè & per-
 petuò in accipientem, ejusque heredes transeat. *l. 1. 2. 3. C. de*
fur. Empb. add. Goed. n. 1. Alienationis quoque nomine con-
 tinetur Hypothecæ constitutio, & datio pignoris, cum Jus
 in Re alteri constituatur, *l. 1. ff. de pign. act. & pignoris datio*
transferat possessionem in creditorem. Veniunt verò ali-
 enationis nomine, non quidem inde, quasi statim ab initio
 veræ alienationes sint, sed quod alienatio inde sequi possit,
Grot. Lib. 2. c. 6. n. 9. si debitum scilicet non solvatur, & res
obligata distrahatur. Vultej. Lib. 1. d. Feud. c. 18. n. 42. 43. Parĩ
 modo infeudatio in alienationis incidit speciem. Generali n.
 significatione alienationis nomine venit, omnis rerum trans-
 latio; ut manumissio, servitutis impositio, ususfructus, do-
 natio, Contractus, Emphytensis ut & venditio, permuta-
 tio;

tio; Id enim omne alienationem vocamus, quo quid ex u-
 nius bonis ac patrimonio ita transportatur in alterius pa-
 trimonium, ut illud minuatur, hoc vero augeatur. Proprie
 tamen secundum plerosque alienatio est, cum transfertur
 Dominium sive Directum, sive Utile. Improperie vero,
 cum non Dominium, sed aliud Jus rei, vel possessio sola.
Vid. Calv. Lexic. Jurid. de voce alienandi.
 Thesis V.
 Panis quoque nunc investigabimus, quid sibi velit
 vocabula illa *Bona Imperii*. Dicuntur vero bona ex eo,
 quod beent, id est beatos seu fortunatos & locupletes faciant
Vid. l. 49. de V. S. Imperii vero vocem verbo Imperare sua
 debere incunabula obscurum non est, habetque hoc voca-
 bulum varias significationes, quas tamen brevitate litans
 hac vice enarrare supersedeo. Sunt vero bona Imperii non
 unius generis: Quaedam enim sunt in patrimonio sive Do-
 manio Principis, & vocantur substantialia Principis propria,
 item, bona divinae domus, quae apud Romanos etiam pri-
 vatarum rerum nomine veniunt. Inde Comes rerum pri-
 vatarum passim in utroque Codice, Privatum ararium. *l. un.*
Cod. Theod. qui à præb. tyron. Privata largitiones *l. ult. Cod.*
Theod. de Incorporat. Dicebantur etiam privata absolute
l. ult. Cod. Theod. de locat. fund. l. 49. de appellat. l. 20. Cod.
Theod. de Decurion. l. 18. de palat. Sacran. largit. Cod. Theor-
dof. Appellantur etiam res Caesaris, & ut Honor. & Theor-
dof. in l. 9. C. de Jur. Fisc. res dominicae, quaeque in com-
 mercio non sunt, non, quod absolute horum bonorum non
 fit commercium, sed quia distrahi non soleant, nisi jussu
 Principis *l. cum servus 39. §. constat. 7. C. seq. ff. de leg. 1. l. 7.*
ubi caus. fiscal. l. 3. de quadrienn. prescript. l. fin. d. fund. rei
 priv.

priv. Caroli Magni Capitulares reddunt proprium dominicum. *Lib. 4. c. 34.* Videlicet omnia Principis bona, omnesque res, quæ deprehenduntur in privato cujusvis Principis patrimonio, quæ scilicet acquisivit tanquam privatus ante Principatum vel Regnum obtentum, non quatenus est Princeps, sed quatenus est Fridericus, Henricus, Adolphus, & quæ vel à Majoribus Jure hereditario, sive successionis, contractus, vel Jure belli, vel titulo legati, donationis emtionis, aliisque modis sibi acquisivit. Alia verò Bona sunt fiscalia, ad fiscum vel Rempubliam & Regnum pertinentia, publicumque patrimonium, dictaque fiscalia à fisco, qui est sacculus Regni, in quem omnes fructus, redditusque atque proventus Reipubl. ponuntur, quæ bona juvant Principem ad tuendum dignitatis splendorem & Majestatem Imperatoriam. Romanis hæc bona nominantur res sacri ararii, largitiones sacre, thesauri Majestatis Imperatoriae. *l. 2. C. de palat. sacr. larg. l. 1. de Questor. l. 2. C. ut dign. ord. serv.* Gallicis appellantur bona Coronæ, quæ Princeps possidet ut caput Reipublicæ, quæ quia Principatui & Coronæ ejus unita sunt, non possunt solius Principis alienari jussu, nisi accedat ordinum assensus & approbatio. Etenim istorum bonorum solus ususfructus penes Principem est, eique sola permessa administratio, non substantiæ deminutio aut alienatio. Habet enim se Princeps erga bona Principatui incorporata, sicut maritus erga dotem uxoris, quam non potest minuere; & quamvis legibus solutus esse dicatur *l. 31. de Legicus*, tamen non est solutus legibus fundamentalibus sui Principatûs, quæ quasi ex Jure Gentium sunt, & quibus cum inauguratur, Jurisjurandi religione se obstringit *c. 33. X. de Jurejur.* Ex hisce igitur duobus bonorum generibus, alterum bona Imperatoris, alterum bona Imperii rectè denominatur.



12
CAPUT II.

Continet ipsius Rei explicationem.

Thesis I.

Postquam in præcedenti capite ipsarum vocum excusimus notationem, variasque illarum propinavimus significationes, necesse nunc erit, ut ipsius Rei quoque inspiciamus cardinem, veritatemque in eâ latentem curiosâ iustremus sedulitate.

Thesis II.

Antequam verò ad specialia progressum faciam, liceat mihi prius in genere excutere illam quæstionem, num videlicet Rex vel Princeps, qualiscunque etiam ille sit, gaudeat potestate alienandi Regna, Principatus, provincias atque subditos? Placet hîc sententia Hug. Grotii *de Jure B. & P. Lib. 1. c. 3. n. 12. 13.* & Conringii *in Tract. de finib. Imp. Germ. Lib. 2. c. 19.* qui distingvere amant inter Regem s. Principem, cui pleno Jure regnum est assignatum, sive qui summam potestatem pleno Jure possidet, ut sit quasi in patrimonio ipsius Imperantis, (e.g. si testamento potissimum extranei relictum, aut voluntariâ subjectione sub lege proprietatis, vel victricibus armis primitus fuerit acquisitum, transieritve in plenam dispositionem victoris) & inter Principem, cui non pleno jure, sed solummodò voluntate, & ultraneopopuli consensu Regnum fuit delatum. Priori modo omnimodam alienandi libertatem licitam esse largiuntur, sive ea per adoptiones & donationes, sive per venditiones & in solutum dationes, sive per simplices permutationes, aliosve modos ad transferendum receptos, tam inter vivos, quam mortis causa fiat; quia talis Princeps, ut quilibet alius Dominus pro lubitu de rebus dispone-

disponere potest, earumque moderator est & arbiter, *arg. l. in re mandatâ. C. mandati.* qui non nisi per accidens commo- modo utilitatique subditorum propter proprium usum, consulere debet. Huc pertinet exemplum illud Josephi, qui permutatione frumenti Regnum Ægyptiacum Pharaoni Patrimoniale reddidit. Vid. *Gen. 47. v. 20. & seq.* Sic Attalus Regis Eumenis filius Populum Romanum testamen- to suorum bonorum scripsit heredem, idemque fecit Ni- comedes Rex Bithyniæ, cum morti esset vicinus, sic Lybiæ pars Cyrenaica ab Appione Rege eidem populo fuit relicta. Vid. *Grot. alleg. loc. ubi hæc & plura alia ex variis Historicis deducit. add. Pufend. de J. N. & G. Lib. 7. c. 7. §. 11.* Posteriori verò modo, si videlicet populi voluntate Principatus, seu Regnum alteri fuit delatum, alienationem denegant, si sc. vergat in perniciem ac detrimentum Reipubl. atque sub- ditorum, quia ejusmodi Princeps propterea constitutus, ut Imperio præsidens ejus prospiciat utilitati, cui proinde bona Imperii distrahere atque alienare non licet, sed ho- rum dominium salvum sibi retinuit Imperii corpus, con- cessa solummodò Principi summâ potestate circa eorum administrationem, liberâque agendi facultate circa omnia, quæ salutis publicæ flagitat ratio. Non movet hinc, quòd Carolus Magnus & Ludovicus Pius de Regnis testati legun- tur; Id enim commendationis magis vim apud populum habebat, quàm veræ alienationis. Non enim tam im- posuerunt populis successorem jure suæ voluntatis, quam ostenderunt & commendarunt dignos, quos populi eli- gerent. Verba enim testamenti ita se habent: *Quod si fi- lius cujuslibet istorum trium fratrum (filiorum sc. Caroli) natus fuerit, quem populus eligere velit, ut patri suo succe- dat.*



dat in hereditate Regni &c. Sic igitur, quod nepotes at-
tinet, rem totam populi atque procerum libero arbitrio
commisit. De ipso autem filio Ludovico ita habet Egin-
hardus *in Caroli vitâ: Carolus Magnus extrema vite tem-
pore, cum jam morbo & senectute premeretur, evocatum
ad se Ludovicum Aquitania Regem, congregatis solemniter
de toto Regno Francorum primoribus, cunctorum consilio
consortem sibi totius Regni & Imperialis nominis heredem
instituit.* Similia dicit Anshelmus Benedictinus *in annal.
Franc. anno 813. Tbebanus Chorepiscopus Trevirensis
de gestis Ludov. Imperat. c. 6.* Necessitate verò & hone-
state & publicò communique utilitate corporis & partis
exigente, Regi ejusmodi atque Principi alienatio, subditis
etiam non consentientibus, est permessa, quia salus Reipu-
blicæ suprema est lex, & ob concurrentem & notoriam u-
tilitatem consensus populi accessisse videtur. *Conf. Grot. L.
2. c. 6. n. 8. & Conring. de fin. Imp. Lib. 2. c. 19.* Quemadmo-
enim Pater extrema necessitate, quæ nullam legem pati-
tur, urgente, filium vendere & oppignorare potest, ne
fame atque inediâ pereat, & hoc non tantum de Jure Just.
l. 2. C. de patr. qui filios dist. Sed etiam Jure Divino apud
Hebræos olim licitum fuit, cum tamen pater filii emolu-
mentum prius quærere, privatam verò suam interesse
postponere debeat, & nihil commodi ex filio hauriat, nisi
per accidens; Pari ratione quoque Princeps urgentibus
causis alienationem suscipere valet. Sic res sacræ non
possunt alienari, sunt enim extra hominum commercium,
ex causâ tamen evidentis Ecclesiæ utilitatis, urgentisque
necessitatis earum alienatio permittitur. *Nov. 120. c. 7.*

Thef.

Placet nunc illam perlustrare Quæstionem, an Imperator Romanus olim facultatem habuerit Imperii provinciam vel civitatem unam alteramve suo arbitrio alienare, & in alterius transferre dominium? Sententiarum hîc deprehenduntur divortia; nonnulli enim affirmativam amplectuntur sententiam, ut Bartolus, Baldus, Decius, alique, quos refert Vasqv. *Lib. 1. contr. illust. c. 9. n. 1.* Nonnulli vero negativam fovent opinionem, ut Pruckman. *in Tract. de Regal. Hottoman. illustr. quæst.* Bocerus *in Tract. de Regal. c. 4. n. 36.* alique quos refert & sequitur Harprecht. *in Epigraph. præm. Inst. n. 45.* quorum opinioni nos quoque accedimus. Cùm enim Imperatores Romani non modò sollicitè administrare tueri & regere Rempublicam Romanam teneantur, sed & ipsis incumbat eandem omnibus honestis atque legitimis modis & mediis augere extendere, amplioremque reddere *l. 1. C. de V. J. E. l. 1. in pr. C. de Summ. Trin. §. fid. catb.* & id, quod superiori ætate indè divulsam & amissam Imperio rursus adjicere & recuperare, uti patet ex *§. 1. præm. Inst.* in verbis: *iterum ditioni Romanæ, nostroque addita Imperio &c.* Hinc contrarium erit Imperatoris officio res Imperii distrahere, oppignorare, aut alio quovis modo deteriores facere. *arg. c. intellecto X. de Jurejur.* Huc accedit, quòd Imperator Romanus quasi communis omnium sit pater *Nov. 98. c. 2. in fin.* & Reipublicæ quoque censeatur maritus. Præterea res Imperii publicæ in ipsius Imperii patrimonio sunt, & non propriè Imperatoris, quippe cum rebus Cæsaris opponantur *l. 1. §. Sed & constitutio 3. ff. de calumniat. & Respubl. maximè verò Romana minorum Jure utitur l. respubl.*

respubl. 4. C. quib. ex caus. maj. Ex quibus luculenter apparet, quod Imperator cujus administrationi & defensioni Imperium commissum, neququam suo arbitrio aliquid, quocunque etiam id fiat alienationis titulo, distrahere valeat. *l. Imperatores 37. ff. de pact.* Imperium enim se habet ut corpus, cui si vel auricula amputetur, monstruosum efficitur. V. Thom. Michael *conclus. 16. de Jurisd.* Et ut Pater bonorum filiorum adventitia prohibetur alienare, licet illis uti frui possit: sic Princeps quoque res imperii distrahere nequit, cum communis omnium sit Pater; & uti marito rerum dotalium denegatur alienatio, sic & Principi rerum Imperii distractio eo ipso, quo censetur Reipublicæ esse maritus. Quomodo enim prædia minorum nequeunt alienari, nisi interponatur decretum ab ipsis tutoribus vel curatoribus, sic etiam bonorum Imperii alienatio nulla est, quam pro suo arbitrio suscipit Imperator absque eorum quorum interest consensu. *Conf. Harprecht. all. loc. & D. Bocerius, qui cuncta hæc latius deducunt.*

Thefis IV.

Nihil ergo movent ea, quæ pro contrariâ sententiâ stabiliendâ in medium adferri solent. Quod enim Legem illam Regiam concernit, quam dissentientes urgent, quod Populus Romanus per hanc omne Imperium ac potestatem in Imperatorem transtulit *l. 1. ff. de const.* ut omne quod Principi placeat legis habeat vigorem. *§ 6. f. de J. N. G. & Civ. l. 1. §. sed in hoc 7. C. de vet. Jur. enucl.* Ad hoc dubium Resp. Transtulit quidem Populus Romanus per legem illam Regiam omne Imperium ac potestatem in Augustum, scilicet quoad gubernationem, uti patet ex *l. unica. de off. pref. Prat. ibi: Regimenta; non verò quoad alienandi facultatem*

tem Regimen enim proprietatem rei administratæ non
 complectitur ex suâ significatione, & verba §. 6. *quod Prin-*
cipi placet &c. ita accipienda sunt, ut id saltem pro lege sit
 habendum, quod ex bono & æquo publicæ utilitati conve-
 nienti constitutum sit, neque pugnet cum honestate. Ver-
 bum enim placendi non est libidinis, nec absolutæ volupta-
 tis, sed justitiæ, rationis, & consilii, *arg. l. 57. de legat. 1. l. 1. de*
const. Princip. l. 31. de LL. Quæcunque enim ex usu reipubli-
 cæ esse censebit Imperator, ei agere facere jus potestasque
 sit; secus in iis, quæ Rempublicam lædunt: nam Imperia-
 lem decet solertiam ita Reipublicæ curam gerere, ut Regni
 utilitas incorrupta persistat, & singulorum status jugiter ser-
 vetur illæsus. Neq; contrariatur nostræ assertioni illud axio-
 ma, quod quilibet rei suæ moderator sit & arbiter, non solum
 utendo, verum etiam abutendo. *l. sed et si. 25. §. consuluit. 11. ff.*
de pet. her. Ad hoc enim respondetur, quod Imperium Rom.
 pertineat ad Imperatorem non Jure proprietatis, sed tantum
 jure administrationis, defensionis pariter & protectionis.
 Ulterius dissentientes urgent *l. 9. ff. ad Leg. Rhodiam de jactu,*
 ubi Imperator dicit *se esse mundi Dominum*, & *l. 13. in pr. C.*
de Judic. ibi per orbem terrarum. Sed respondetur, vox Do-
 minus in *d. l. de precatio. 9.* non indigitat verum Dominium
 rerum singularum, sed Imperii Majestatem, ita ut sit Do-
 minus Imperio, quoad Jurisdictionem tantum atque defen-
 sionem, non verò Jure patrimonii seu domini, sive quoad
 proprietatem. *Busius in Comment. ad ff. ad d. l. de precatio.*
 Neque obstat, quod in *l. 31. de legibus. l. 14. §. 1. de manum.*
 Imperator dicatur solutus esse legibus. Nam legibus Naturæ
 & Gentium minimè est solutus, quarum respectu Princeps
 non consideratur ut talis, sed ut homo; Principis enim pote-
 stas

stas est saltim Civilis, quapropter etiam ea, quæ sunt de Jure Gentium tollere prorsus nequit. Franzk. *Ex. 1. qv. 8.* neque est solutus Legibus fundamentalibus, & quibus cum inauguratur Jurisjurandi religione se obstringit, uti in *preced. cap. tb. 5. inf.* diximus. Ut non pro arbitrio, quod tyrannorum est, sed lege ac ratione ligatus Princeps dominetur. Arist. *5. Eth. c. 6.* Quare sapienter Antiochus III. missis ad singulas civitates literis, dixit: *Mandatis meis non obtemperetis, si non sint à Republicâ, aut si quid contra leges statutaque Majorum scripsere.* Quo pertinet illud Theodosii, nihil Majestate regnantis dignius, quam legibus alligatum se Principem profiteri, & illis submittere Principatum. *l. 4. de Legibus.* Neque nostram destruit sententiam, quando dissentientes urgent, quod Vasallus feudum suum refutare possit, non modo ipsi Domino, deficientibus agnatis, *Lib. 2. F. tit. 14.* sed & invito domino ipsis agnatis. *tit. 38. § 49. R.* Rationem differentiaë magnam hic subesse; alienatio enim in tertium fieri potest, refutatio verò feudi non nisi in manus ipsius Domini, deficientibus agnatis feudi successoribus: potest quoque in agnatorum si extent fieri manus, per quod nullum Domino fit præjudicium.

Thesis V.

Nunc illam quæstionem maximè quoque controversam sub disquisitionis revocabimus incudem: num Imperatores Romano Germanici ante atatem Caroli V., quippe qui vi Capitulationis Carolinaë arctius constringi videbatur, ad Maximilianum I. usque inclusivè, Jus habuerint ac facultatem, suo arbitrio quidpiam è rebus Imperii alienandi? Hic nonnulli ex Publici Juris Doctoribus, ut & aliqui cum iis Historici, sine accuratâ tamen rerum investigatione, asserere non

non dubitant, Imperatorem Romano Germanicum olim liberam habuisse facultatem de bonis Imperii disponendi, eamque prius fuisse restrictam atque coarctatam cum Capitulatione Carolina, utpote in quâ Electorum consensum, adhibere Imperatori prius fuit injunctum; quemadmodum *Arumæus*, *Carpzovius* & alii, qui horum sequuntur opinionem, Publicistæ, nec non *Conringius* & multi cum eo Historici, hanc sententiam amplectuntur: quæ tamen opinio cum rem non absolvere videatur, tolerari non potest. Stante enim hac sententiâ Imperatoribus, qui ante ætatem Caroli V. Imperio Romano Germanico præfuerunt, plus Juris attribuitur, quo tamen non coruscarunt, iisque qui in Imperio hosce exceperunt, plus detrahitur; quod etiam fieri non debet, nec potest. Hinc veritati magis congruit illa opinio, Imperatorem Romano Germanicum nunquam habuisse liberam facultatem absque consensu Principum & Ordinum Imperii, saltim præcipuorum, ante Capitulationes formaliter ita dictas, quicquam majoris momenti cum effectu suscipere. Vid. Illustr. Dn. Præses in *Commentario ad Bœcl. Notit. S.R. I. § in analect. ad Schwed.* bonaque Imperii secundum excellentiam ita dicta, alienare & oppignorare; præcipuè si hæc alienatio stantibus Comitibus contigerit.

Thesis VI.

Hinc à tempore *Friderici I.* & quod excurrit, nullum invenimus exemplum, quòd unquam vectigal aliquod ad Imperii patrimonium pertinens absque consensu Principum Imperii Imperator alteri dederit, nec ullum extat vestigium, Imperatorem redditus ac contributiones, ut collectas Civitatum Imperii, & quæ sunt his similes, absque horum consensu aliis vendidisse vel oppignorasse; secus enim si

C 2 qui



qui facere sustinuerunt, factum hoc nullum declaratum fuit & invalidum. Huc referri potest illa sententia, quam Imperator Fridericus I. anno 1172. tulit; cujus partem ex archivo Geldriae refert Fridericus à Sande in *Tr. 2. ad Consuetud. Geldriae, tit. 1. c. 5. n. 5.* in his verbis: *Cum Serenissimus Romanorum Imperator Henricus III. praedecessor noster, Telonium Noviomagense dicta domui annexum sine conscientia & consensu Principum Imperii, Theodorico Comiti Cliviensi in feudum concessisset, tali interposita conditione &c. Nos tamen ipsum secundum sententiam à Principibus Imperii prolatam, dicto telonio privavimus, & dictam concessionem, quae sine conscientia & consensu Principum Imperii fuit, cassavimus.*

Thesis VII.

Pari modo in fundandis condendisque novis Principatibus, rei magnitudo atque pondus, quae alio modo nullum potuit sortiri effectum, flagitavit, ut Principum Ordinumque Imperii consensus in hisce fundandis adhiberetur: quo neglecto Imperator nihil agere valuit; siquidem *Fridericus I.* Marchionatum Austriae eo modo erexit, & *Fridericus II.* cum consensu Primorum eundem evexit ad fastigium dignitatis Ducalis, cujus splendore nunc radiat. Et Imperator *Rudolphus I.* filium suum Albertum cum Austria, Styria & Carinthia, consensu Imperii Principum atque Statuum adhibito, anno 1282. infeudavit, & *Carolus IV.* super Incorporatione Ducatus Silesiae Regno Bohemiae Norimbergae in Comitibus, nec non super aliis gravioribus in favorem hujus Regni indultis privilegiis, confirmationem Electorum impetravit, ut eò magis in domo & causâ propriâ posteros validitatis eorum firmitatisque affecuraret.

Thesis VIII.

Huc non minùs pertinet, quod laudatissimus Imperator
Maxi-



Maximilianus I. collationem hereditarii Gubernamenti in terras Frisicas pari modo suscepit, cum anno 1498. Duci Saxoniae Alberto illud conferret, in qua confirmatione commemoratur, quod ad hanc collationem Electores conjunctim, literas voluntatis suae singulares, Germanicè *Willbrieffe*/pro more in ejusmodi casibus consveto atque recepto, dederint; & huc quoq; ea, quae commemorati gloriosissimi Imperatoris Maximiliani I. Cancellarius, referente Ubbone Emmio, *Dec. 4. Rerum Frisicarum Lib. 34.* ad Sacerdotem quendam Gröningensem *ult. Febr. 1495.* scripsit, omnimodò respiciunt. Verba sunt sequentia: *Credatur nihil earum rerum, quod Rex velit Comiti in Frisiâ vel partem Frisiae, nec totam in feudum dare, sed penes se & Imperium totum retinere. Nec Rex potest aliquem de his de novo infeudare, absq; consensu Capituli Principum Electorum.*

Thesis IX.

Quod igitur concernit feuda Imperii, quae Imperio sunt aperta, nullum quidem est dubium, quando in ejusmodi apertura quaestio commissi criminis aut feloniae concurrit, quod Imperator Romano Germanicus semper de necessitate esse putavit, in ejusmodi propter feloniam, apertis feudis nihil quicquam nisi cum consilio & beneplacito & approbatione Statuum Imperii suscipere: quia, si ejusmodi feuda aliis conferri debeant, novi motus facillimè exoriri, vel priores non satis sopiti de novo resuscitari, possunt. Eapropter commemoratus Imperator Fridericus I. anno 1580. Archiepiscopo Coloniensi partem Terrae Angriae & Westphaliae, per feloniam Ducis Henrici Bavariae apertae, contulit, habitâ cum Principibus deliberatione, & communi ipsorum consilio, requisita etiam à



Principibus sententiâ , an id fieri liceat. Si verò per casum mortis familia quædam Principis aut Comitis Imperii omninò fuit extincta, & hac ratione feudum quoddam Imperio apertum, nullus unquam Imperatorum se obligatum esse credidit, ut consensum Statuum Imperii, sive ad minimùm Electorum consensum adhiberet, tanquam in re infeudari solitâ: siquidem in *Aurâ Bullâ* Imperatori vel Regi Romanorum Jus tam renovandi Investituram *Tit. V.* quàm etiam de Principatu infeudari solito alium infeudando *Tit. 7. arg. vocis: poterit*, reservatur, ipsique inibi duntaxat injungitur, quod Electoratus denudò in feudum dare debeat. Quod verò Imperator Maximilianns I. anno 1495. Wormatiæ in Comitibus Franciscum Sfortiam cum Ducatu Mediolanensi infeudarit, Electorum assensu & aliorum Principum Comitum & Barorum Imperii accedente consilio, illud factum, propter præjudicium quod tunc suberat prioris Ducis Philippi Mariæ, & eorum, qui ipsi erant conjuncti, de quo legi potest *Paulus Jovius*, & Imperator propter tumultus hosce Italicos & turbas, licet hic casus non extitisset, Status Imperii consulere, eorumque efflagitare approbationem necesse habebat. Nullum etiam deprehenditur exemplum, in quo Imperator ad requisitionem talismodi consensus se obstrictum putavit; multò minus Maximilianus I., quàm forsitan in ejusmodi casu, si id in præjudicium & gravamen alterius potuisset vergere, ex quo deinde querelæ Imperatori fuissent metuendæ.

Thesis. X.

Sic etiam Carolus V. quemadmodum communis quidè fert opinio, non simpliciter in sua Capitulatione *art. 24.* ad

ad hoc se obstrinxit, quòd antiqua Imperio aperta feuda, in posterum alteri conferre non velit; sed se hoc facere, nolle sine prægnañtib; causis. Hinc in commemorato articulo major obligatio non deprehenditur quam illa, quã gloriosissimus ejus Ansecessor Imperator Maximilianus & omnes ejus Majores in Imperio tenebantur. Siquidem idem Imperator Carolus V. cùm prima Comitia Wormatiæ *anno 1521.* celebraret, (uti videri potest ex actis Imperii,) collationem apertorum feudorum sibi simpliciter asseruit, & eo ipso unicuique, præprimis verò Statibus Imperii, aperuit, quomodo *articulus 24.* Capitulationis suæ sit intelligendus. Hi quoque eò se declararunt, se nolle hanc potestatem ejus Majestati detrahere, sed ejus duntaxat deliberationi unice velle committere, numne è re Imperii sit, feuda, præprimis ea, quæ magni momenti ac pretii, (nam quod cætera spectat, jamjam in Capitularione in iis differentia facta erat) ad conservationem Regimenti Imperii, Judicii cameralis, &c. Imperio incorporare: quo facto Imperator suarum partium esse duxit de iis arbitrari, & determinationem, an hoc Imperio consultum, suo soli beneplacito & deliberationi relinquendum esse voluit; in quo Status quoque Imperii acquieverunt. Multò minùs in commemorato *artic. 24.* extat, quòd si Imperator ejusmodi reinfeudationem suscipere velit, eam non valeat suscipere, quàm cum consensu Principum Electorum: nam ad hoc neque Carolus V. neque ejus in Imperio successores se unquam obstrinxerunt, usque ad Regem Ferdinandum IV. in cujus Capitulatione priùs, & quidem *art. 30.* sequens provisio facta, *in verbis:* Die sollen und wollen wir ohne Vorwissen der sieben Churfürsten (eujusmodi verba

verba in nulla anteriorum Capitulationum extant, **fernet
niemandes leihen.** Ita ut ab hoc demum tempore Imperator Electorum præscitum, non verò illorum consensum, in feudis hisce conferendis adhibere teneatur: siquidem ad plura etiam se non obligavit gloriosissimus laudatissimusque Imperator Leopoldus, qui in præsentiarum Imperio Romano Germanico gloriosissime præsidet, fataque ejus dispensat. Omnes quoque querelæ & judicia super feudis Imperio apertis, de quibus Carolus V. & laudatissimi ejus successores alios reinfeudarunt, sunt frustranea, si hi modò cum Principibus Electoribus super suo proposito, vi communis obligationis, qua Imperator in arduis ejusmodi negotiis adstringitur, communicationem instituerunt, & super hoc ipso eorum opinionem audiverunt, postea verò pro Religione Jurisjurandi, quâ saluti Imperii se prospecturos se obligant, ipsimet rem perpenderunt.

Thesis XI.

Expectativas, quæ Imperator Romano Germanicus solet concedere, paucis quoque delibare lubet; ubi secundum communem Doctorum opinionem, antequam per Capitulationem Carolinam *art. 24.* & in hujus sequelam in proximioribus, uti creditur, Capitulationibus aliud fuerit dispositum: nullum est dubium, quin Imperator Romanus in conferendis feudis Imperio apertis: irrequisito Electorum consensu, disponere, & in ea feuda, quæ in posterum Imperio aperiri possunt, Expectativas concedere potuerit: quemadmodum maxima hujus rei extant exempla; & quidem Imperatoris gloriosissimi *Friederici III.* qui Duci Saxonie Alberto *Anno 1444.* in Ducatum Juliaci ac Montium Expectativam dedit, in quâ nullius præscientiæ

tia & voluntatis Electorum & Principum Imperii sit men-
 tio, neque in illa, quæ sub dato Graiz/ d. 26. Jun. 1483. concessa
 fuit, uti patet *ex verbis*: Wir Friedrich/ *ic.* thun kund aller mânt-
 glich/ d; wir dem Hochgebohrnen/ Albrechten Herzogen zu Sach-
 sen *ic.* zu Ergeßlichkeit der treuen angenehmen und nütlichen
 Dienste/ so er uns/ im vergangenen Kriege/ wider weyland Her-
 zogen Carl in Burgund seel. Gedächtniß/ in eigener Person und
 nachmals wider den König in Ungarn/ mit schwerer darlegung
 und in andere Weise/ mannigfaltiglich und unverdrossen gethan
 hat/ und in künfftiger Zeit wohl thun mag und soll/ mit wohlbe-
 dachtem Muthe/ zeitiger Vorbetrachtung/ guten Rath/ eigener
 Bewegniß/ und rechten Wissen/ den Anfall der Herzogthum
 Jülich und Berg/ gegeben und zu Lehen gnädiglich verliehen ha-
 ben. Geben und verleihen von Römischer Käyserlicher Macht
 und Vollkommenheit wissentlich *ic.* Et filii pariter ipsius *Maxi-*
milianus I., qui cuncta hæc repetere atque pluribus confirmare su-
 stinuit, sub dato Fallazin 18. Septemcr. 1486. Vid. Ausführliche
 wohlgegründete Deduction des Chur- und Fürstl. Hauses
 Sachsen/ an dem verledigten Fürstenthume Jülich/ Cleve/ und
 Berg *ic.* habenden Rechtes. Siquidem laudatissimus Impera-
 tor Maximilianus, cum infeudaret Ducem Württembergiæ E-
 berhardum, in collatione Feudi eò se obligavit, se nemini de-
 novo hunc Ducatum in feudum daturum esse, si aliquando Im-
 perio aperiretur. Vid. Renunciat. hanc ap. Hortleder. *Tom. I.*
von Ursachen des Deutschen Krieges/ Lib. 3. c. 1. p. 612. & Carpz.
c. 7. de Leg. Reg. sect. 3. n. 6. Id quod tamen facere haud teneba-
 tur, si id ipsum extra hanc renuntiationem & obligationem,
 ipsi non licuisset; siquidem nemo quoque vult concedere, quòd
 hic Imperator unquam ad alienandum quidpiam è rebus Im-
 perii ex officio & debito ejusmodi consensum quæsi verit ab Im-
 perii Electoribus. *Vid. Illustr. Dn. Rhet. in Comment. ad Consuetud.*
Feud. p. 64. neque unquam illi, vel ejus in Imperio Antecessori-
 bus talismodi Jus fuit disputatū; Ad minimum non est necesse
 cum *Limnao* ad Capitulat. Ferdinandi II. *art. 28. p. 599.* statuere,
 quòd, quia in Capitulatione Imperatoris Caroli V. *art. 24.* so-
 lum-



lummodò extat, quemadmodum ille feuda, quæ per id tempus quo ipse Imperio præfuit, Imperio fuere aperta, nemini iterum conferre velit, Exspectativæ verò in eâ Capitulatione non fuere prohibitæ: hinc omnes etiam sequentes Exspectativæ aliorum Imperatorum post Imperatorem Maximilianum, præprijis verò illæ, quæ ab Imperatore Ferdinando II. concessæ fuere, omninò validæ sint censendæ; si sc. consideremus, quod ejus Capitulationi *art. 28.* hæc verba prius inserta fuere: *Niemand einige Expectanz und Anwartung darauff geben.* quæ verba in nullâ anteriorum capitulationum deprehenduntur. Ubi tamen notandum, quòd hæc in Capitulatione Ferdin. III. promissio absolutè non sit intelligenda, quia postea Imperator Ferdinandus III. inter alia Electorali Domui Saxonicæ *d. 17. Septembr. 1638.* cum consensu Electorum, Exspectativam concessit in Comitatum Hanau; siquidem in Capitulatione quoque Ferdinandi IV. hoc expressè Electorum arbitrio atque consensui committitur, num feuda Imperii aliis de novo in feudum dari debeant. Hinc in eo acquiescendum, quòd obligatio Caroli V. Imperatoris prima sit, & ipsiusmet quoque Capitulatio sola asserat sufficienter, quod (1.) porro & in futurum, ea feuda, quæ Imperio aperiuntur, aliis conferri non debeant, ita per eam capitulationem omne id, quod à laudatissimis ejus in Imperio antecessoribus, & sic quoque ab Imperatore Maximiliano, in collatione etiam feudorum Imperio apertorū, fuit dispositum, eò magis ab Electoribus capitulationem præscribentibus, & universo Imperio ratum fiat, & corroboretur. (2.) quod in eodem loco ejus Capitulationis Cæsareæ, illis Statibus, & qui illis usque, ita etiam ab Imperatore Maximiliano Imperatoris Caroli V. proximo in Imperio Antecessore, collationem gratiæ cujusdam consecuti, licet re ipsâ nondum illam experti, ea gratia magis corroboretur; quòd videlicet ea in futurum in vigore suo permanere, & re ipsa illis conferri debeat, *per clausulam: Doch uns von wegen aller unser Erblanden und sonst männiglich an seinen Recht und Freyheiten (quas videlicet ante hanc Capitulationem fuit consecutus) unshäd.*

unschädlich/ quam salvatoriam in omnibus sequentibus capitulationibus repetitam invenimus; & licet hæc clausula adjecta non fuisset, illud tamen quod semel validum ex sequenti de futuris disponente Ordinatione infirmari haud potuisset.

Thesis. XII.

Ut vero paulò penitius perlustremus Expectativas feudorum nondum apertorum, ante omnia sciendum, quòd, uti Imperatori Romano in iis Expectativis idem ad minimum Jus largiendum, imò plus, quàm quod circa reinfeudationem feudi Imperio jam aperti habet; ita, si unquam Imperator Romanus in danda quadam Expectativâ Electorum & Ordinum Imperii consensum adhibuisset, non erat putandum, ac si Imperator ex quodam obligationis id fecisset vinculo, sed credendum potius, illud fortuitò contigisse, ferente ita in Comitibus occasione, sive aliis circumstantiis concurrentibus ita postulantibus, cujus tamen rei vix ullum verum invenies exemplum. Tale enim non est, quando Serenissimi Domini Marchiones Brandenburgenses (nam Cæsar eò non indigebat ad validitatem negotii) ad majorem in posterum assensum, Norimbergæ in Comitibus anno 1457. Electorum expetierunt consensum, eumque sunt consecuti, & quidem super Confirmatione Imperatoriâ & simultaneâ investiturâ, transactionem inter ipsos & Duces Mechlenburgicos initam, concernente: Et quando Carolus IV. anno 1350. Landgraviis Thuringiæ Dominatum Coburgum & Smalkaldiam, qui in procinctu erat, ut Imperio aperiretur, bonâ voluntate & pleno consilio Dominorum suorum & intimorum contulit; Tunc hoc non est forma consensu Electorum vel Principum, sed beneplacitum eorum, qui in Consilio ipsi adfuerunt. Sic Fridericus III. uti in thesi præcedenti monuimus, ejusque filius Maximilianus I., Duci Saxonici Expectativam in Ducatum Juliaci dederunt, non adhibito Electorum consensu atque præscientia; Et non minus Maximilianus I. Duci Brunsvigensi Henrico Seniori Expectativam in nonnullas urbes & castella Comitis Simonis de Lippe (nam absque heredibus illum obituro esse credebatur)



concessit, idque anno 1515. in qua Expectativa nulla fit mentio, illam cum consensu Electorum Imperii factam fuisse; Ad minimum retrò à Rege Romanorum Ferdinando IV. nullus Imperatorum Romanorum obligationis vinculo adstrictus fuit, ut Electorum exigeret consensum ad validitatem Expectativarum, quas ipsi aliis concesserunt. Imò ipse Rex Ferdinandus ad nihil amplius erat obstrictus, quam ut cum Electoribus de his duntaxat conferret atque deliberaret: verba enim, quae in art. 30. capitulationis ejus extant, sunt sequentia. Die sollen und wollen wir (heimfällige Lehen) ohne Vorwissen der sieben Chur-Fürsten ferner niemands verleyhen/auch (quod huc pertinet,) niemand einige Expectanz und Anwartung hierauff geben. Et quamvis Imperator Ferdinandus II. jam jam se obstrinxisset, similiter nullam in ejusmodi feuda Expectativam largiri, tamen in hac obligatione nulla fit mentio praescientiae Principum Electorum. Imperator verò Ferdinandus III. in alia Expectativâ, quam Domui Saxonicae in Comitatum Hanau concessit, ex libera voluntate Electorum adhibuit consensum. Hinc factum, ut Capitulationi Ferdinandi IV. deinde infereretur, quod Imperator nihil sine Electorum praescitu suscipere vellet. Ubi obiter monendum, quod in re tanti momenti exactâ rationis trutinâ rem non perpendant illi, qui in ea sunt opinione, quod, cum Imperatori incumbat, Electorum consensum & voluntatem in re quadam expetere, res ejusmodi absque Electorum consensu ab ipso suscepta aut gesta, eo ipso corruat, nulliusque valoris sit. Quod si enim res illa per se non vergeret in Imperii damnum, vel tertii praesudicium non posset idcirco nullum haberi negotium. Non enim credendum est, ac si omne id, quod Capitulationi contrariatur & ab Imperatore suscipitur, eo ipso momento etiam nullarum virium sit: nam hoc nullibi proditum, & *articulus 28.* Capitulationis Leopoldinae (ad instar anteriorum Capitulationum) unicè duntaxat in tantum disponit, si videlicet aliquod Rescriptum & res ejusmodi alia contra Jura & leges Imperii impetraretur & promulgaretur, quod hoc ipsum cassum & irritum esse debeat.

debeat. Siquidem aliàs ejusmodi Effectus nullitatis, si omnes Capitulationis articulos deberet concernere, fini ipsius Capitulationis adjiciendus fuisset, cum tamen prius in sequentibus articulis Imperatoris Majestati injungatur, in rebus Imperii arduis & gravioribus statim ab initio Electorum consilium adhibere & absque eo nihil suscipere. quò tamen clausula illa annullationis, quæ in præcedenti extat articulo, non poterat referri.

Thesis XIII.

Cum potestas alienandi bona Imperii magna ex parte nunc resideat penes Sacri Rom. Imperii Electores, id quod elucescit ex articulo Capitulationis Imperatoris Caroli V. nono, *in verbis*: *Sudem und insonderheit sollen und wollen wir dem Heiligen Römischen Reich nicht alleine ohne Wissen und Willen und zulassen gemeldter Churfürsten sämtlich nichts hingeben / verschencken / verpfänden / versetzen / noch in andere Weise veräußern / oder beschweren &c.* quod etiam cæteræ Capitulationes, quæ hanc sequuntur, clarè demonstrant. Hinc disceptant Juris publici Doctores, quomodo Consensus interponi debeat. Nonnulli enim putant sufficere, si majoris partis Collegii Electoralis consensus adsit; alii aliter statuunt, & omnium Electorum consensum unanimem desiderant, Priori sententiæ tesseram adjecit Limæus *ad art. capitulationis Carolinae 9. voce: sämtlich*, ubi inquit, *quoniam hic de alienatione, quæ minus favorabilis est, agitur, omnium prædictorum Electorum consensus unanimes, si alienatio justa esse debeat, requiritur.* Sed veluti hæc ratio non concludit, ita præter legem tale quid asserere non licet. Vid. *Illustr. Dn. Prasæ in Dissertatione de Consensu Electorali §. 25.* Priori verò opinioni subscribit Sprengerus *Lib. 1. cap. 6.* cujus sententia veritati magis congruit. Dictio enim Latina, quæ idem hic est atque Collegialiter, æquipollentiam habet cum voce illa: *Sämtlich.* Hinc per vocabulum hoc magis destruitur Limæi opinio, quàm quod inde convallidari debeat.

Thesis XIV.

Cum Germania superiori hujus seculi ætate truculenti belli



belli flagraret incendio, & theatrum esset dulcissima nostra mater sanguinolenti Martis, cogente ita durissimo necessitatis telo, huic Capitulationis puncto alienationem prohibenti in *Instrumento Pacif. Gall. §. 76. 80.* derogabatur, ut aurea & exoptata pax quæ diu misere exulaverat, iterum reduceretur, & artus Imperii tabescentes, spiritum ac vitam reciperent: Nam ut naufragium, ut *Limæus ad cap. Carol. V. art. 9 p. 165.* loquitur, evitet gubernator, navis jacturâ quicquid salvari potest, redimit, ut vitam continuet æger, & cætera salva habeat, membrum sibi amputari non recusat, & trunco corpore gaudet partem pro toto solvisse, ita, ubi summa necessitas urget, & jam in potestate ac manu armatâ alterius sunt quædam Imperii partes, cedendum fortunæ erit, & consensu alienatio firmanda, quam impedire non valemus. Ad redimendam ergo pacem aliquot ditiones Gallo ac Sveco cedebantur, quod ex verbis patet sequentibus. *Ad majorem supra dictarum cessionum & alienationem validitatem Imperator & Imperium vigore presentis transactionis expresse derogant omnibus & singulis prædecessorum Imperatorum Sacrique Romani Imperii decretis, Constitutionibus, Statutis & Consuetudinibus, etiam juramento firmatis aut in posterum firmandis, nominatimque Capitulationi Cesareæ, quatenus alienatio omnimoda bonorum & jurium Imperii prohibetur, simulque in perpetuum excludunt omnes exceptiones & restitutionis vias, quocumque tandem Jure, titulove fundari possent. Conventum est insuper, ut præter promissam hic inferius à Cesare & Imperii Statibus ratihabitionem in proximis quoque Comitibus ex abundantia rate sint supra dictorum ditionum juriumque abalienationes, ac proinde si in Cesareâ Capitulatione pactio vel in Comitibus propositio deinceps fiat de occupatis distractisve Imperii bonis ac juribus recuperandis, ea non complectatur aut complecti intelligatur res supra expressas &c.*

Thesis XV.

De Oppignoratione, quam in precedenti capite th. 4. alienationis quoque speciem esse diximus, cum per hanc à debitore Jus quoddam in re propria transeat in Creditorem, tandemque non insecutâ solutione ad effectum oppignorationis, alienationum

tionem intelligo, procedatur, l. Sancimus. 7. C. de reb. alien. non alien. Sciendum, quod Imperator suo arbitrio res Imperii oppignorare nequeat; sed cogatur consensum, consilium, & auctoritatem Electorum Imperii adhibere. Sic enim verba Capitulationis se habent: Ohne Wissen / Willen und Zulassen gemeldter Churfürsten sämtlich nichts hingeben / verschreiben / verpfänden / versetzen. Sed an oppignorare potuit res Imperii Imperator ante Capitulationes formaliter tales, quaestio est. Nos antea negavimus. Affirmant id quidem nonnulli Dd. moti exemplis & verbis, quae privilegiis quorundam inserta deprehenduntur: hanc urbem à nobis & Imperio nullatenus separare, alienare, oppignorare permittimus, hoc oppidum immediate nobis & Imperio asservare volumus. Vid. Viet. de caus. Exemt. Imper. concl. 13. Sed hæc tanti ponderis non sunt, ut ad credendum nos inducere valeant, Imperatoribus olim licuisse citra Electorum sive Ordinum Imperii consensum suo arbitrio, Ditiones, Civitates, aliasque Imperii res oppignorare s. alienare; sed communi jure administratorum aliorum bonorum res ista æstimanda, & privilegia de non alienando accipienda, ne ista Imperii membra ab Imperatore alienentur, quamvis Consensum alienandi obtinere Imperator queat ab Electoribus & Ordinibus Imperii, quem ne quidem honeste ambiri posse hoc stante privilegio, nec in alienationem consentiente alienato, putandum: Verum ut solum obligetur Imperator, ne consensum requireret, cautiores sibi dari hæc privilegia Imperii nomine procurarunt. Vid. Limnæus ad Capitul. Caroli V. art. 9. in verbis: verschreiben / verpfänden / versetzen. n. 5 & 6.

Thesis XVI.

In Articulo 4. Capitulationis Carolinæ, pariterque in sequentibus Capitulationibus Cæsareis, sacratissimi Imperatores se obligant atque spondent, se res oppignoratas creditoribus esse relicturos, omni relictione cessante, eosque in quietâ earum possessione asserturos esse. Sic enim verba allegati articuli sonant. Und in allewege sollen und wollen wir die



die teutsche Nation, das Heil. Römische Reich/ und die Churfürsten/ als die fördersten Glieder desselben/ auch andere Fürsten/ Graffen/ Herren und Stände bey ihren Hoheiten/ Würden/ Rechten/ Gerechtigkeiten/ Macht und Gewalt/ ieden nach seinem Stand und Wesen bleiben lassen/ ohne unser u. männliches Eintragen und Verhinderniß/ und ihnen dazu ihre Regalien/ Obrigkeiten/ Freyheiten/ Privilegien/ Pfandschafften und Gerechtigkeit/ auch Gebrauch und gute Gewohnheiten/ so sie bisher gehabt haben/ oder in Übung gewesen sind/ zu Wasser und Land/ in guter beständiger Form/ ohne alle Weigerung confirmiren und bestetigen/ sie auch dabey als Römischer König handhaben/ schützen und schirmen etc. quæ verba in securis Capitul. reiterantur. Vid. Capitall. Ferd. I. Rudolphi II. Matthie, Ferd. II, III. IV. & Leopoldi. Idque pariter confirmatur in Pacificatione Westphalicâ art. 8. & 9. his verbis: *Quod ad oppignorationes Imperiales attinet, cum in Capitulatione Cæsarea dispositum reperiatur, quod electus Romanorum Imperator, Electoribus, Principibus, cæterisque Statibus Immediatis Imperii, ejusmodi oppignorationes confirmare, atque illos in in eorundem tranquillâ & quietâ possessione defendere ac manutenere debeat: conventum est, hanc dispositionem donec consensu Electorum Principum ac Statuum Imperii aliter statutum fuerit, observandam, atque propterea Civitati Lindau, nec non Weissenburgo in Noricis, reddita sorte, Oppignorationes Imperiales ipsis ademptas illico & plenariè restituendas.*

Thesis XVII.

Quæritur igitur, an hæc Imperatoris promissio de Jure possit sustineri? Si enim audimus Palatium Rubrum in Rubr. de donation. Ille inquit quod irritæ sint donationes, quas in primis sui Principatûs auspiciis Rex facere solet, si in suæ dignitatis Reipubl. dispendium cedunt; & Nicolaus Cusanus Lib. 3. de Concord. Cathol. c. 30. Strauchio in Diss. de Opp. rerum Imper. referente, quàm maximè hoc ulcus increpat, in verbis, quæ adponere lubet, sequentibus; *Est insuper alia Imperii destructio: quoniam cum Imperator solum administrator in utilitatem Reipublicæ existat, sæpè per pacta Electorum sua querentium intrat regimen, & occupata*

cupata contra Jura Imperialia, ob Jusjurandum repetere non audeat, telonia gravantia Rempublicam deponere, ac alias utiles ordinationes facere. Et per antecessores inconsulte absque omnium conventu amoris inordinati, aut affectionis vel sanguinis tam in prejudicium Imperii donata vel impignorata revocari inhibetur, Et sic fit, ut dum Electores sua quaerunt, ita sibi creditam potestate abutuntur, quod eis concessa potestas pro bono Imperii in ejus destructionem convertatur. Quoniam Imperatores non deberent permitti ab ipsis facere alienationes praediciales, Imperatori ipsi adistere deberent; ut semper Augustus esset; sed quia eum ligant, ne ipsis donata vel obligata aliquando fuere vel per consanguineos aut parentes, qui Imperio profuerunt, adimat: tacent, dum idem facere vident Imperatorem, ne se ipsos damnent. O coecitas maxima, non credant Principes de bonis Imperii divites fieri, Et permanere aliquamdiu? Curantibus enim omnibus sua augmentare, Imperio ad nihil tendente, quid sequitur, nisi universonum destructio? Quoniam non existente potentia majori conservativa, Et pacativa Imperii invidia, eademque semper crescente cupiditate, bella, schismata, divisionesque facies, Et tunc sicut omne Regnum in se divisum desolabitur inique collectum. Decipiuntur itaque Principes sub Imperio dum ob illum finem attrahunt Et colligunt undique Imperialia ut potentiores, Et fortiores fiant; quoniam postquam totam capitis Et Imperii potestatem membraque laniaverint Et deglutiverint, desinet hierarchicus ordo: non enim est primus, ad quem concurratur. Et ubi non est ordo, sibi est confusio, Et ubi confusio, ibi nullus tutus. Et sic nobilibus inter se altercantibus jus omne in armis propriis quaerentes surgent: quoniam sicut Principes Imperium devorant, ita populares devorabunt Principes.

Thefis XII.

Huc accedit, quod Imperator in art. 9. ejusdem Capitulationis jurato promittat se ea, quae ab Imperio divulsa bona primo tempore recuperaturum & oppignorata esse revocaturum, in his verbis: Sondern uns auch auff's höchsten zu bearbeiten und allen möglichsten Fleiß und Ernst fürzuwenden / dasjenige so vom Reich abkommen / als verfallene Fürstenthum / Herrschafften und andere confiscirte und unconfiscirte merckliche Güter / die zum Theil in anderer frembder Nation Hand ungebührlicher Weise gewachsen / zum söderlichsten wieder dazu zu bringen / zu eignen / auch dabey bleiben zu lassen. Si ergo promittit Imperator & quidem jura-

E

men-



mento, se Imperii beneficia seu feuda revocaturum esse atque Imperio vindicaturum, quomodo jurare poterit, se effecturum, ut possessores in quieta ea retineant possessione? Videntur enim hæc omnino sibi contrariari. Sed Respondetur, *artic. 9. Capitulationis Caroline*, de duobus cavere; alterum est, ne Imperator bona Imperii donet, hypothecæ supponat, oppignoret, & quibuscunque aliis modis distrahat atque alienet. Alterum, ut quæ Imperio subducta, avulsa, erepta, indeque alienata, omni labore atque studio recuperare eique incorporare velit. Prius illud prohibet in futurum, adeoque *articulo 4. Capitulationis Caroline* non contrariatur, utpote qui de præterito quid habendum sit circa bona Imperii pignorata disponit. Posterius vero, quid Juris circa jam alienata statuit, ut ea nempe Imperator recuperet, & ad Imperium reducat. Sed quænam illa? Non sanè, quæ status Imperii à Imperatore justo detinent titulo, hæc enim *in fine dicti §. 9. Capitulationis Caroline* disertè intelliguntur excepta, *per verba: Doch männiglich an seinen gegeben Privilegien / Rechten und Gerechtigkeiten unschädlich.* Hæc enim non tam alienata extra Imperium sunt, quàm intra Imperium ab Ordinibus Imperii justè possidentur; Sed ea recuperare omni studio allaborare tenetur Imperator, quæ Imperio subducta so vom Reich abkommen / verfallene Fürstenthum / Herrschafften / & hujus generis alia, caduca, extincta, vacantia, & quidem si alicujus pretii sint, *mercliche Güter / & in manibus exterorum injustè detineantur.* *Vid. Strauch. in Dissert. de Oppignorat. rerum Imp. th. 24. Add. Dn. Schwed. Introd. in Jus Publ. Part. Spec. Sect. 1. c. 23. §. 6.*

Theſis. XIX.

Jus igitur retinendi pignora, quod ab Imperatore Ordinibus Imperii confirmatur, non tantum pertinet ad res oppignoras, quæ ex conventionione reuitionis sunt expertes, vel de quarum reuitione nihil in instrumento fuit cautum, (von unablöflichen oder solchen Pfandschafften / bey denen keine Wiederlöfung bedinget worden) verum etiam ad illas, quæ suâ naturâ Juris reuendi sunt obnoxia, ita, ut licet reuitioni naturâ suâ subjectæ, tamen vi confirmationis Imperatoris ab ipso sui non possint. *Strauch. Dissert. Ex. 4. th. 15.*

Theſis

De genere hujus contractus, videlicet Oppignorationis, cum valde disceptent Juris Interpretes, utrum sit merum pignus, aut pignus cum pacto Antichreseos & sic porro, pauca quaedam erunt dicenda. Primum quod concernit, apparet statim, quod non sit merum pignus: ex hoc enim Creditor Jus percipiendi fructus non habet, adeo, ut si absque Domini voluntate, saltim praesumpta, pignore utatur, furtum dicatur committere *l. si pignori ff. de furt. Panormit. c. 1. X. de pos.* Et fructus perceptos in partem fortis imputare debet. *l. 1. C. de distr. pign.* Hinc nec nomen pignoris cum pacto Antichreseos ipsi attribui potest. Nam cum pignore frui non sit permittum sine hoc pacto, hoc verò ubi additum est, ibi Creditor fructus in vicem usurarum, & si legitimum modum superent, ut partem fortis accipit, quod non ita fit in Pfandschafften. Ideò palam est Oppignorationes Imperii pignus Antichreticum non constituere. Cur ita? accipit enim ut redditum, sed non pro usu fortis seu usurâ, sed Jure Domini, ita ut in sortem non imputet. Statuimus igitur, Oppignorationes superioribus seculis usurpatas referre conditionem pignoris fiduciarium ex pristino Jure Romano, quod cum translatione quadam proprietatis conjunctum; Nimirum hæc erat fiducia, cum res pro pecunia mutuò accepta creditori mancipabatur, vel in Jure cedebatur, & sic quodam modo vendebatur, dominio in Creditorem transcripto statim ipsâ traditione, non vi demum Legis commissoriae; revocabiliter tamen. Cujac. *ad lib. 2. sentent. Paul. tit. 13. c. 1. in pr. de feud. dat. in vicem L. Commiss.* A Faber. *de error. Prag. decad. 21. Err. 1.* Et hinc procedit ex parte, quod oppignorationes ejusmodi nunc quidem pro talibus habeantur, quæ nulla relevatione tolli vel aboleri possunt. v. Strauch. *in Dissert. de Opp. rer. Imp. & Illustr. Dni. Præses in Analect. ad Schwed.*

Thesis XXI.

Jus conferendi feuda, quæ Imperio aperiuntur, quod concernit, Capitulationibus Caroli V. & sequentium Imperatorum disertè providetur, quòd illa non sint aliis iterum coferenda, sed potius incorporanda Imperio, ut redintegrentur inde ararii redditus, nervique publici restaurentur & recolligantur. *Vid. Capitulation.*

Capitulat. Leopold. art. 30. & Capitulat. Caroli V. art. 24. verb. Wenn auch
 Lehnen dem Reich und uns bey Zeiten unser Regierung eröffnet / und
 lediglich heimfallen werden / so etwas merkliches ertragen / als
 Fürstenthum / Graffschafften / Herrschafften / Städte und derglei-
 chen / die sollen und wollen wir ferners niemands verleihen / sondern
 zu Unterhaltung des Reichs unser und anderer Nachkommen der
 Könige und Käyser behalten / einziehen und incorporiren / biß so
 lange dasselbe Reich wieder zu Wesen und Aufnehmen kömmt.
 Sed cum feuda quæ Imperio aperiuntur non unius sint generis,
 quædam enim imperio aperta rursus aliis in feudum conceden-
 da; cum quibusdam vero secus sese habet; hinc principatus, Du-
 catus, Comitatus, aliis iterum non conferuntur *vi artic. Capitul.*
 Hoc vero capitulationis articulo non comprehenduntur Electo-
 ratus, id quod apparet ex *Aurea Bulla c. 7. §. 3. in verbis: Si vero a-*
liquem ex huiusmodi Principatibus ipsorum Imperio Sacro vacare contin-
geret, Imperator sive Rex Romanus, qui pro tempore fuerit, de ipso provi-
dere debet & poterit &c. Conf. Arumæus ad Aur. Bull. Diss. 7. th. 11.
Carpz. de Leg. Reg. Germ. c. 7. sect. 4. n. 77. In hac ergo Aurea Bul-
 la conceditur facultas, imò imponitur necessitas, feuda Electo-
 ralia Imperio aperta alteri rursus in feudum concedendi, suaden-
 te id publicâ Imperii utilitate atque commodo, ne scilicet nume-
 rus Electorum imminuatur, cum maximâ Imperii jactura atque
 detrimento.

Thesis XXII.
 Quomodo verò Electoratus vacantis reinfeudatio suscipi
 debeat? discrepant Doctorum sententiæ. Alii enim vacantis Ele-
 ctoratus reinfeudationem ab Imperatore citra consensum Princi-
 cipum Electorum fieri posse arbitrantur; alii afferunt Reinfeuda-
 tionem ejusmodi cum consensu Electorum esse suscipiendam, alii
 distinctione rem absolvi posse putant. Nobis placet senten-
 tia *Illustr. Dn. Præsidis in Analect. ad Schwed. Intr. §. P.* statuentis, quod
 constitutio novi Electoris pertineat ad Cæsarem, non aliter atque
 ad ipsum respicit Jus quem constituendi Statum Imperii; tan-
 tum ut receptio Electoris ejusmodi fieri debeat prærequisito
 consensu & placito Collegii Electoralis, si fortasse causa gravis
 extiterit, ob quam is, quem Cæsar loco destinavit, in eundem re-
 cipi possit.

Thesis

Cum Donatio alienationis quoque sit species, hinc quaeritur an Donatio Constantini Magni, quâ is Sylvestro Pontifici Romano Dominium Ecclesiarum, universale & temporale Occidentis, imprimis verò Urbis Romæ, Italix, Siciliæ, Sardinia, Hispania, Germania largitus dicitur, unquam facta, & si facta, ac Jure subsistat? Utrumque negamus, cum Imperator absque urgente necessitate bona Imperii alienare non debeat. Hottoman. *Illustr. quest. 1.* Tabulæ enim, quas dissentientes ad hanc donationem probandam producant, non extant in authentico, nec Stylus isti seculo convenit, hincque suspectæ sunt fidei. Neque suffinetur hæc donatio per *Can. Constantinus-dist. 96.* in quâ se potissimum contrarium urgentes fundant. Quandoquidem cum textus iste *Palea* inscribatur facile ejus levitatem animadvertere licet. Nâ veteres vulgari joco paleam appellarunt res tenues & modicæ utilitatis, vel nullius momenti. Hinc Canones, qui *Palea* inscribuntur, suspectæ fidei esse putantur, nec ut Authenticæ allegari possunt, aut vim legis habent, cum solius Gratiani Monachi aut *Paleæ* ejus discipuli autoritate innituntur, ab iisque nomen invenerint. *Felin. in c. 2. n. 43. X. de Rescript.* Neque juvatur hæc donatio per *c. fundamenta. 17. §. ne aut ipsa mater, de Elect. Lib. 6.* ubi eadem donatio à Pontifice laudibus tractatur & comprobatur. Resp. enim, Papæ in propria causâ aliquid attestanti fidem non esse habendam *l. nullus 10. ff. de test. l. omnibus 10. C. eod.* Hinc *Aeneas Sylvius* (qui postea Papa factus & *Pius II.* appellatus fuit) cum Cardinalis esset, in Dialogo quodam hæc de Donatione, conscripto legistas stolidos appellavit, qui disputando se fatigant, an hæc donatio facta, quæ facta tamen nunquam fuerit. *V. Felin. n. cap. solita X. de major. & obedien. n. 5.* Et Veneti cum à Pontifice appellarentur, quo Jure & titulo sibi solis Jurisdictionem in *Mar Adriatico* vindicarent, cum hac de re nulla extaret legitima concessio, illusorie & satis argute responderunt: Ea facile reperiri posse, si donationis Constantini membranæ partem exteriorem, in quâ ea majusculis literis scripta essent, benè aspiceret. *Parem* in modum etiam *Hieronimus Donatus Legatus Venetus* Pontificem elusit, qui *Alexandro Borgiæ Papæ VI.* jocosè

de potestate ac Jure Venetorum in mare Adriaticum interroganti ex improvise respondit. Det mihi vestra sanctitas instrumenta D. Petri, & à tergo scriptam inveniet concessionem factam Venetis maris Adriatici. V. Camerar. in hor. *suavis*, 1. c. 61. p. 778. § 279.

Thesis XXIV.

Num vero hæc donatio, posito casu quòd unquam facta sit, à modernis nostris Imperatoribus revocari possit nec ne, quaeritur? Affirm. prius. Quia Cæsari, quæ Cæsari & Deo, quæ Deo sunt reddenda, juxta mandatum Christi *Matth. 27. vers. 21. Marc. 12. v. 12.* Constat insuper ex Jure Civili dari causas, propter quas donatio etiã legitimè facta revocari potest, inter quas etiam refertur ingratitude donatarii. Et quot ejus sint species exprimitur in *l. 1. l. pen. l. fin. § Auth. quod inter Cod. de revocand. donat.* has vero ingratitude species perpendenti nulla datur, quæ locum non habeat in Pontifice. Nullus enim mortalium unquam tantam injuriam, tantum detrimentum, tantum contumtum, tanta atrociam bella, tanta pericula necis horrenda, ac tantas impias manus, nedum pedes nostris sacratissimis Imperatoribus intulerunt, quanta Rom. Pontifices. Idque cum primis à tempore Hildebrandino, à quo Imperium multis turbis involverunt, pertractâ ad se potestate Ecclesiasticâ, impugnatibus Cæsarium electionibus, vibrato inique Banni fulmine, quid quod integra Regna ab Imperio per instinctum Pontificium abscesserint, id quod latius Historiæ loquuntur: hinc propter ingratitude aliasque enumeratas causas per *l. 5. C. de rev. donat.* hæc donatio jure revocari potest. Neque hanc revocationem impedit, quod Imperator quoque recens electus juratò promittat, se Pontificem & Ecclesiam Romanam defensurum, ut patescit ex juramento, quod refert Sleidanus *Lib. I. Commentarii de Statu Religion.* Cum enim eodem Jure Imperator se sanctè adstringat, quod ditiones Imperii ab aliis occupatas primo quoque tempore recuperare velit: hinc data Imperatoris religio de tuendâ Ecclesiâ Romanâ nullum impedimentum potest creare, & quamvis expressè de ditionibus illis non revocandis dederit fidem, tamen hæc fide, quæ Sacramento Imperatoris Septem Viris dato contrariatur,

tur, non adstringitur arg. d. c. intellecto 33 X. de Jurejur. Nam Juramentum tribus suis comitibus destitutum, justitiâ videlicet, veritate & judicio, nullius ponderis est c. et si Christm 26. S. Jacobus quoque X. dict. tit.

Thesis XXV.

De Carolo IV. Imperatore, quem nonnulli haud contemnendi scriptores in suspensionem vocant, ac si Regnum Burgundia seu Arelatense extremo Imperii anno abalienasset, idque in Franciâ transtulisset Delphinum, pauca dicere lubet. Culpæ enim ipsum arguere & dissipationis Imperii bonorum, quæ Regnum Arelatense complectitur, convincere sustinent nonnulli Scriptores, sed vel errore decepti, vel studio partium ad id asserendum abrepti: Theodoricus enim à Niem, Pontificius quondam scriba gravissimè accusat Carolum, sic scribens: *Carolo hujus nominis IV. Augustus, imò verius dissipator injustus, tempore Urbani Papa V. Regnum Arelatense, quod similiter est Juris & proprietatis Imperii, & quod etiam dictus Otto Magnus Imperator adjecit Imperio, sumpto magno prandio apud villam novam propè Avenionem per eundem Ducem ipsi Carolo præparato transtulit in præfatam Ducem, postea in Regno Sicilia vitâ sumptum, nec hic contentus idem Carolus nobilem Principatum, Delphinatumque, qui est una de septem provinciis dicti Regni Arelatensis, quod etiam Burgundia nuncupatur, transtulit in Regem Francorum sub colore, quod primogenitus Regis Franciæ dictum Principatum tanquam Vasallus Imperii teneret in feudum & inde Delphinus vocaretur. de Schismate Lib. 2. c. 25.* Sed huic & aliis ejusmodi assertoribus eruditè respondet, dubiaque resolvit Dn. Schurtzfleisch in Dissertatione: *Quod Carolus IV. Augustus non dissipaverit Imperii patrimonium, quatenus pertinet ad Regnum Arelatense, hancque sententiam ex sequentibus non fallentibus indiciis comprobatur; & primum quidem desumit ex publico A. B. testimonio, in quâ non primò concessus, sed confirmatus est Archicancellriatus Episcopo Trevirensi, qui solenne Imperii ministerium notat & apertè indicat, id per Galliam & Regnum Arelatense non inani & dicis causa apposito elogio patere, A. B. tit. 1.* Alterum neque incertum & temporum ratione prius rei hujus indicium præbet Carolina confirmatio, quæ aliquot annis præcessit Bullam Auream, & satis

fatis indicat hoc munus atque hunc titulum non modo ante publicam hanc sanctionem, sed etiam ante Karoli IV. ætatem, usu tractandoque cognitum fuisse. Tertium nec minus validum, non ab alienati supremi domini præsidium collocatur in regni Inauguratione, quæ Anno 1365. Arelati parata est, evidenti sane indicio Regni illius Germanorum Imperio adhuc innexi & subiecti, ut Benessius oculatus plurimorum Karoli actorum testis, scriptorque ætate conjunctus, pro Imperatore loquitur, cujus hæc sunt verba: *Eodem anno (1365.) coronatus est D. Imperator (Karolus IV.) coronâ Regni Arelatensis, quod Romano subest Imperio, in Civitate Arelatensi, cum maximâ solennitate.* Hæc vero solenniter facta coronatio non imminuit Imperii Jura, sed ea potius integra conservavit atque retinuit. Vid. Dn. Schurtzfleisch. *in alleg. Diss.* ubi cuncta latius deducit.

Thesis XXVI.


De Rege Romanorum quæstio incidit, an is quoque bona Imperii alienare valeat? Negativè respondemus, quia Rex Romanorum non potest, nec posse debet ea, quæ nec ipse Cæsar potest, aut non vult Regem posse, nec velle potest. Hinc Rosenth. *C. IX membr. A. concl. 30. de feud. n. s. seqq.* nil posse Regem tradit ad Jus Imperii directum lædendum, ceu nec potest alienare quicquam ex Imperio, nec alienanti consentire: Idem *d. l. & Michael d. concl. 29. lit. G.* aut efficere, quo minus feudum Imperio aperiatur. M. Stephani *d. l. 11. 60.* Nam si hæc talia Rex Romanus suscipiat, Cæsar ob defectum consensus sui eadem impedire potest; quo pertinet exemplum Caroli V. *in Voto 8. Tom. 1 Symphor. Gylmanni part. 3. in e. Northausen contra Rotenb. V. Illustr. Dn. Prof. Diss. de Reg. Rom.*

Thesis XXVII.

Vicariis quoque Imperii non minus omnis obligatio, & alienatio rerum Imperialium interdicitur, idque vi capituli *V. §. 1. inf. A. B.* Et hoc rectè, cum & ipse Imperator cogatur jurare se res Imperii nolle alienare vel oppignorare. Hic nunc subsisto, teque benevole Lector rogitō, digneris hoc nostrum studium in meliorem interpretari partem. Interim Deo sit laus, honor & gloria, in secula seculorum.

F I N I S.





Jena, Diss., 1695 A-L


ULB Halle 3
005 015 790



1695







B.I.G.

Farbkarte #13

Mem. 34. Eu. K. 16. 15
179

VGVRALIS
TATE
ALIENANDI
PERII

1695, 8^a
13

E GRATIA
ILLVSTRIS JCTORVM

LANA
E
CELLENTISSIMO

CHRISTOPHORO
ERO

IN FLVRSTÆT
HAV

INARIENSI INTIMO
S JURIDICÆ
ORDINARIO

PROVINCIALIS ASSES.

O
SVMMO HONORIS CVLTV
RANDO

NTIA

HONORES ET PRIVILEGIA
CONSEQUENDI

ni subjicit

NDVS BAVSSIVS

SAX.
horis, locoque conspctis.

NISIANIS.

